

Curatio mirabilis

Nuper, cum me ipsam in speculo spectarem, aliquid mihi non quadrare videbatur. Dubitanter aspectum meum sum perscrutata: quid erat mutatum? Subito intellexi, et vix oculis meis credidi: caput meum capillis tenerrimis est copertum! Medicum quendam memineram, qui multis ante annis capillos meos tantum somno captos esse praedixerat. Quam diu eos aliquando experrecturos esse speraveram! Me puella multi medici adhibebantur, atque medicamina omnium generum accepi: pilulas, unguenta, siphones, atque etiam curationes miras quae potius ex magia quam ex scientia corporis erant exortae – sed capilli mei omnibus conatibus tenaciter resistebant. Quomodo plus triginta annis post ex illo somno arto sunt excitati?

Diu mecum hanc quaestionem volutavi, et cachinnum sustuli cum denique resurrectionis causam mirabilis inveni: illa fractura calcanei capillos ex somno excitaverat! Aestate superiore chirurgus meus me cottidie vitaminum quoddam sumere iussierat ad os pedis firmandum, et illud medicamen capillos meos stimulavisse videbatur.

Quamquam illa resurrectio mihi iuveni gaudium maximum attulisset, mihi nunc adulta aspectus mei ipsius capillis ornatae non mihi placuit: calvitiae mea iam diu assuefacta eram. Atque quam laboriose capilli curantur! Illae feminae quae post exercitium corporis per dimidiam horam capillos suos lavant pectantque mihi displicent. Sine ulla cunctatione novacula mariti mei caput diligenter rasi, capillos iterum somnum capturos esse sperans.

Sed frustra: capilli tam obstinate crescunt vigentque ut bis in hebdomada caput mihi radendum sit. Fortasse mense Septembri rasuram intermittam: cum chirurgo meo de illa curatione mirabili narrarem, illum de verbis meis dubitare animadverti. Ut demonstrationem exspectet!